

quod Scriptura de semet testatur. Declarabo hoc simili exemplo. Si de re aliqua, cujus mentionem fecit *Imhof.* ad domum Principis cujusdam pertinente, quaestio sit, sciatque Princeps, virum, quocum loquitur, *Imhofium* diligenter legere, ac dicat: legis *Imhofium*, & ille de rebus meis scripsit; quis tunc dubitaret, velle Principem, ut alter *Imhofium* legat; & quae ac si dixisset: *Lege Imhofium*, ille enim ea, de quibus loquimur, exhibet.

§. 2. Interim nullo modo relinquendus est *Imperativus*, qui, si auctoritatem desideras, tot tantaque veterum Ecclesiae Patrum testimonia habet, ut non opus sit ex meis, aut cujusdam nostrae Ecclesiae Viri, verbis illud cognoscere; verum audire hac de re possimus *Jesuitam* magni nominis, ingenuum veritatis confesorem. *Maldonatus* enim ad b. l., omnes, inquit, opinor, praeter *Cyrillum* graves Auctores, imperantis modo dictum putant. Ex Pontificiis ante *B. Lutheri* reformationem *Abbatibus* illi, qui *Carolo V.* in baptismo deni loco *Biblia S.* obtulerunt, inscriptionem eis addiderunt ex loco nostro: *Scrutamini Scripturas*, vid. *Christ. Matthiae Theatr. Hist.* p. 1034, quam non bene aliter, quam imperativè, accipere licebit. Verum apud illos non opus est subsistere. Licet enim ex Pontificiis plurimi, ut in desperatae suae causae aliquale subsidium sacrae scripturae, tanquam illi libro, qui praeteritas tempestates & turbines concitavit, (ceu loquuntur de Reformationis negotio *Episcopi, Bononia* anno 1553. congregati, in *Consilio* suo, adversus *Bibliorum* lectionem *Papae* suo *Julio III.* dato ac a *Vergerio* edito, cont. *B. Alberti Interesse Rel. Christ. arc. 1. lib. 7. § 6.*) aliquid detrahere queant, unum *Cyrillum*, cui alias non tantum tribuunt, hic sequi malint, quam integrum Patrum chorum; qualia *subdola Ecclesiae Romanae* erga *Patres* reverentiae plurima specimina proposuit in *Traçtatu*, sub hoc titulo edito, *Jac. Laurentius*: tanta tamen est veritatis vis, ut etiam post exortam reformationis lucem *Emserus* ac *Dietenbergerus* in *Versionibus* suis *Germanicis* *Imperativum* retineant, ut & *Corn. a Lapide* in *Comm. ad h. l.* aliique. *Nostrates*, *B. Lutherum* secuti, *Imperativum* communiter recipiunt, quod etiam faciunt *ex Calvinianis Tigurini, Belgae & alii.* Accedit huc non contemnendum illud, quod *Syrus* interpretis veritati h. l. praebet, testimonium, adhibens,